



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

S. Iosepho Sponso Virgini Matris Virginis Dei Hominis Annonæ Præfecto
Mortalivm Ac Immortalivm, Post Iesvm Mariam Delicio.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

S. IOSEPHO
SPONSO VIRGINI
MATRIS VIRGINIS
DEI HOMINIS

ANNONÆ PRÆFECTO
MORTALIVM AC IM-
MORTALIVM,

Post

JESVM ET MARIAM
DELICIO.

VM PRIMVM constitui, Crea-
tæ Sanctissimeq; Triadi meos
conatus, & vix fragili cortice
dignos labores inscribere: vt
grati animi monumenta, Cedro æter-
ni amoris incisa nulla tineæ, vel vetu-
stas aboleret, nulla posset temporum,
aut mortalium iniuria eradere; Para-
diso quidem MARIÆ nomen in fronte
& à tergo præfixi, vt ceu altera Eva,
post primæ exilium, veteris viridarij
possessionem recuperaret: Blanditias
verò cui alteri, quàm generis humani

A 7

ac

DEDICATIO

ac tuo imprimis delicio destinarem, cuius halitus rosa, cuius voces violæ, cuius risus cælestis concentus, cuius oculi stellæ, cuius capilli radij, orbem vniuersum sui amore deuinciant? Alimenta denique Tibi, vt diuinæ familiæ fidissimo Oecono, horreum ac penum JOSEPHO debui, alterius Iosephî in tui cultu memor; qui pari pudicitia studio, et si dispari omnino causâ, aperta adulteræ lenocinia fugit, quo Tu Virginis occultam integritatem formidâsti: illum vt nouum sidus visi sunt diurnæ nocturnæque lucis Principes cum reliquâ siderum cohorte adorare; a Tibi sol Christus, Luna virgo, Cælitumque minora sidera suos quandoque radios submisere, pronaque luce fabrilis officinæ ascias & secures, religioso antè vsu splendentes, amplius illustrârunt.

Persuasus itaque, nihil me tuâ conditione, aut meâ in te pietate indignû in huius ordinis delectu admisisse. Alimenta tibi è libro, (vnde priscis olim

non

a Gen. 37.

INTERPRETIS.

nō liber tantūm, sed & farina fuit) deuotus honori tuo cliens dedico: qui præter plura nomina, quibus tuis obsequijs pridem fui obnoxius, aliquo cognationis jure totum Te mihi vindico. Si enim vitæ tuæ rationes profundius expendo; sentio, te inter viros omnes primum è Societate IESV fuisse: cuius sanctissimę necessitudinis fiduciã erectus, saluã S. P. IGNATHI, vt Patris, reuerentiã, te generis nostri auctorem & atauum compello. Næ ego felicem illum tunc dixissem, qui in admirandis illis Societatis IESV initijs tecum fabrilis asciã in IESV & MARIÆ oculis ac obsequijs asseres & trabes potuisset ad modesta sedilia, ad frugalem mensam læuigare; eius lateri laboris socius adherere, qui à Te ad operam citatus, præter brachiorum ac manuum conatum, etiam Deum commodauit: à quo potuisti non malleum tantūm, sed vires etiam postulare: qui, quas cæderes, creare arbores potuit: cui structuram dictare & facere idem est: qui nullis

tro-

DEDICATIO INTERPRETIS.

trochleis aut vectibus vsus, quouis Archimede peritior, digito non vnam, duntaxat trabem, sed orbem Vniuersum suspendit: dum interea Virgo Mater, ceu *Fortis illa mulier, a* pro securi acum stringens, Filio vestem, hoc est, Soli nubem parat; & filum in telâ, mentem in Filio defigit.

Hæc igitur Alimenta meæ publicæ, que in te pietatis eò auidius degusta, quòd lilium, manibus ac moribus tuis familiare præferant: quod Gallicæ gentis, & nunc pietatis insigne, velut Cereri impressum à pistore signum, in hanc quoque Annonam demersi; vt gentis illius Symbolo & linguâ ad decus tuum vsus, lilium, non senectutis emortuo colore, sed candoris æterni gratiâ tinctum, in manu tuâ nostròque vsu nunquam elanguisse, aliquando in cælo deprehendam.

a *Prov. 31.*

A. S. S. I.

Ad